ARISTOTELES LATINUS. BOETHIUS
12. Jh. Seite 31r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



colliguntur. Sed non omnis res simulatque est aliquam accipit qualitatem.
Ipsa enim materia sub quantitatis quidem principium cadit quod una est.
Sub qualitate vero minime. Ipsa enim est interim qualitatibus absoluta.
Super ea forma quadam afficitur qualitate. Per se autem numero quidem una est.
qualitate vero nulla. Quocirca si res omnis simul atque est cadit in nu
merum. non autem omnis res mox atque est statim suscipiet qualitatem recte
prius de quantitate proposuit. Est autem alia causa cur prius de quantita
tis ratione pertractet. Omne autem corpus ut sit tribus dimensionibus con
stat. longitudine. latitudine. altitudine. Ut vero sit corpus cum
qualitate tunc erit aut album aut nigrum aut quodlibet aliud. Et quoniam
prius est esse corpus post vero esse corpus album prius erit corpori tribus dimen
sionibus constare quam esse album. Sed tres dimensiones et numero et conti
nuatione spatii quantitates sunt. longitudo enim et latitudo et alti
tudo in quantitatibus numerantur. Album vero qualitas. Quocirca si prius
est ex tribus constare dimensionibus quam esse album prior erit qualitate
quantitas. Quocirca recte est tractatus de quantitate propositus. Item alia
causa quod quantitas plura habet substantie consimilia. Nam quem
admodum substantie nichil est contrarium. et substantia non recipit
magis et minus sic et quantitas. Quantitati enim nichil contrarium.
nec quantitas recipit magis et minus. ut paulo post docebimus.
Qualitas vero et contraria suscipit ut album et nigrum. et magis et minus.
ut candidius et nigrius. et candidissimum et nigerrimum. Id enim su
mit intentionem quod potest sumere diminutionem. Quod si sub
stantie similior est quantitas recte post substantiam de quantita
te proposuit. Quantitatis autem dicit esse differentias duas. Quan
titatis namque dicit esse alia continua alia discreta. Post hanc
rursus diuisionem alio modo partitur est quantitatem. Dicit enim quan
titatis alia esse que constent ex habentibus positionem ad se in
uicem suis partibus alia vero ex non habentibus positionem. Unam vero rem
diuerse posse diuidi manifestum est hoc modo. Ut si quis diuidat
animal dicens. Animalium alia rationabilia alia irrationa
bilia. Et rursus eandem ipsam rem alio partiatur modo ut est anima
lium alia sunt gressibilia alia non gressibilia. Eorumque animalium rur